

*(De ingenti [a] pugna inter Cremonenses et Mediolanenses
apud Castellum Leonis.)*

CAP. CXL.

Sub anno Domini MCCXIII, in die Pentecostes, cum Mediolanenses, Placentini, Laudenses, Novarienses, Vercellenses, Alexandrini, Comenses [b], cum aliis eorum amicis, exceptis [A] Brixiensibus, apud Castellum Leonis magnum congregassent exercitum, in cuius belli initio Cremonenses longe extra castra eorum expulsi sunt, tunc quidem Mediolanenses ambulantes per Cremonensium castra, labe infecti lupina [c], 1213.
Jun. 2.
ingludas tunc [d] carnium oretenus bullire [e] videntes, fortiter cœperunt cum aviditate comedere, et magis intenti prædæ quam pugnæ, liberantur armis [f] atque vexillis. At ubi Cremonenses intelligunt Mediolanenses paucos esse ad pugnam, resumptis cum audacia viribus, castra, quæ turpiter amiserant, gloriose in brevi recuperaverunt; et tunc Mediolanenses carpocium amiserunt et armorum et scutorum multitudinem copiosam, unde hodie palatium Cremonensium decoratur. In quo bello soli Cremonenses fuere.

De alia clade [g] Mediolanensem.

CAP. CXLI.

In nomine Domini MCCXIII, Mediolanenses cum suis viribus et amicis de Lombardia advenierunt in obsidionem Cassellæ [h], et ibi a Papiensibus solis capti sunt [i] et interfici. Et ibi deterius habuerunt quam hostibus [j] intulissent apud Castrum Leonis, excepto quod non amiserunt carpocium.

Quando combusta est magna pars civitatis Faventiae.

CAP. CXLII.

Post admirabilem Virginis partum anno Domini MCCXIII, P. M. accensus est 1214.
ignis in civitate Faventiae, die quinta mensis Julii, in parochia Sancti Ioannis in Sclaf.

[a] *De ingenti* etc. Titulus deerat in Codd. — [b] *Comenses*. Sic C. V.; *cum men*, C. M. — [c] *labe infecti lupina*. Sic lego cum C. V.; *Lebe infecti lupina*, C. M. — [d] *ingludas tunc*. Sic Codd. et sic legit cl. Mitt. An legendum *ingentes tunc carnium ollas?* — [e] *oretenus bullire*. Sic lego. Codd. habent *ora te-* — [f] *liberantur armis*. Sic cl. Mitt.; *sternerunt armis*, C. V. — [g] *De alia clade* etc. Titulus deerat in Codd. — [h] *Cassellæ*, C. M.; *Casellæ*, C. V. — [i] *et ibi a Papiensibus solis capti sunt*, C. M.; et *viri Papienses soli capti sunt*, C. V. — [j] *quam hostibus*. Sic lego. *Quam hostiliter*, cl. Mitt.

[A] Brixenses enim favebant Friderico regi Siciliae, ideoque adversabantur imperatori Othoni.